



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

De vita & conversatione Monachorum. 15

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

sunt officio destinatae, pari etiam cibo alantur. Quod ut quam minime onerosum sit, non debent plures in Monasterium Moniales recipi, quam congrue poterunt in singulis Monasteriis sustentari; de quo Nobis prius legitimam fidem fieri conveniet.

CAP. XIII. *De Præpositis solitarie commorantibus.*

**D**isplicet etiam Nobis, quod quaedam Monasteria quosdam Præpositos habent, qui in Capellis solitarii commorantur; quod Lateranensi Concilio vetitum est, ac cautum, ut Episcopus Abbates, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam compellat, ut ejusmodi Præpositos aut Priores ad Claustrum revocent, faciantque Ecclesiis ipsis seu Capellis per Seculares Clericos deserviri, aut saltem alios Monachos ipsis adjungant.

Ex Later.  
Concil.

CAP. XIV. *Visitanda domus fratrum Teutonicorum, divi Joannis Baptistæ, & Antonitarum.*

**V**isitanda quoque in primis & reformanda erunt domus Hospitalium militum Teutonicorum, præterea Ordinis divi Joannis Baptistæ, ac Antonitarum; atque initio providendum, ut in iisdem domibus cultus Divinus rite ac debite peragatur, ut hospitalitas pro pauperibus fervetur, ut vita ac conversatio Regularis secundum institutionem primam ac Regulam (quam illi professi sunt) illic geratur; ut ab ipsis vestes, Ordini ac Professioni dignæ ac convenientes, publice deferantur; ut comestiones, crapulae, ac omnis luxus prohibeatur; ut prædæ illæ Bonorum mobilium, quæ post mortem Prælatorum per Primores Ordinis fieri, ac in exteris regiones deferri, pessimo omnium exemplo consueverunt, amodo nequaquam fiant: sed, quicquid parsimonia defuncti Prælati coacervatum ac relictum fuit, vel necessariis usibus Ecclesiæ aut successorum aut pauperum ejus regionis ubi religiosa ista domus sita est, applicetur.

CAP. XV. *De vita & conversatione Monachorum.*

**E**T, ut revertamur ad Monachorum vitam, haud ignorare debent, Concilio Chalcedonensi cautum, Monachos oportere quieti operam dare, jejunia & orationes observare; in his locis, in quibus se semel Deo devoverunt, remanere; nullas Ecclesiasticas seu Seculares actiones tractare; nunquam sua Monasteria relinquere, nisi forsitan ob ingentes necessitates id facere à suo Episcopo jubeantur; ne nomen Domini blasphemetur. Quare libertas illa peregrinandi seu exeundi, præ-

Ex Conc.  
Chalced.

textu invivendi parentes, moderanda seu penitus tollenda erit.

CAP. XVI. *Monachorum studia atque exercitationes quales esse oporteat.*

**M**onachus & Monacha amare debent Scripturarum scientiam, & carnis vitia non amare; Psalterii librum de manu aut oculis nunquam deponere; semper orare, sensu vigilare; vanis cogitationibus aditum præcludere, corpore pariter & animo in Deum tendere; iram patientia vincere: breviter; nullis animi perturbationibus (quæ si insederint, ad delictum maximum inducunt,) locum dare; semper aliquid operis facere, ut eos diabolus semper inveniat occupatos. Et, ut nulla sint quæ manibus operari liceat, libros tamen sacros describere ipsis maxime conveniret, ut & manus operetur cibos, & lectione anima saturaretur. Porro Egyptiorum Monasteria hunc morem servasse leguntur, ut nullum Monachum absque opere & labore susciperent, non tam propter victus necessaria, quam propter animæ salutem, ne perniciosis cogitationibus vagarentur, neve, instar fornicantis Israël, omni transeunti divaricarent pedes suos.

Hieronad  
Russ.  
Mon.

c. mon-  
quam de  
conf. dist.  
3.

Hier. 3.

CAP. XVII. *Monachos vagos sub custodiam revocandos.*

**M**onachi qui pervagati fuerint, ubicunque inveniuntur, tanquam fugaces, nostro auxilio sub custodiam revocentur. Et, si qui habitum abjecerint, ut eundem reassumant, cogendi.

Ex 4. Tr.  
letian.

CAP. XVIII. *Literas privatas Monacho aut Monacha, injussu Abbatis, resignare non licere.*

**V**T Monachi seu Monachæ literas nullas vel destinare vel recipere audeant, absque Abbatis seu Abbatissæ, aut ejus, qui ipsorum loco Monasterio præest, scientia, summa ratione olim constitutum est, sed per incuriam abolitum: id præsentis constitutione innovandum censuimus.

CAP. XIX. *Canonissarum secularium mores reformandi.*

**P**ostremo, vitam, conversationem ac mores Canonissarum, quæ Seculares ob id appellantur quod perpetuæ castitatis ac reliqua vota monastica non emittant, reformari omnino ducimus necessarium. Nam vitam agunt plus nimio licentiosam, ac plerisque scandalosam. Quæ ut in ordinem & Ecclesiasticam quandam disciplinam, quoad fieri potest, revocentur, Nobis, quum visitationem aggrediemur, curandum est.

P A R S